di punitione, poſſet reus iterũ accuſari, & puniri. Et ita reperio iudicatum fuiſſe in cauſa cuiuſdã Gaſparis Canouæ qui pro homicidio animo delib erato patrato fuerat punitus pœna pecuniaria per prætorẽ Domus Oſſulæ; iuſſit enim Senatus Prætori eius ſucceſſori, vt nulla habita ratione illius cõdemnationis de nouo contra ipſum Canouam procederet, 8. Octob. 1556. P.N. Et Paulus de Caſtro conſ. 548. lib. 1. conſuluit, quod quidam, qui fecerat compoſitionem pecuniariã cũ Vicario Epiſcopi pro adulterio, poterat non obſtante cõpoſitione iterum ab Epiſcopo inquiri, & puniri.

13 Scias [u] etiam, quod licet prædicta cõcluſio procedat de iure, tamen conſuetudo illam non admittit, niſi quando iſti duo iudices ſunt ſub eodem domino. Sed quando eorum territoria, & iuriſdictiones ſunt penitus ſeparatę, & diſtinctę, & ſub diuerſis præſidibus prouinciarum, tunc ſi dictũ commiſſum in vno loco poteſt puniri à duobus iudicibus inſolidum, condẽnatio facta ab uno, & exactio pęnæ non tollit accuſationem, neque [x] punitionẽ coram alio. Et ita de conſuetudine obſeruari atteſtatur Bal. relatus per Arct. in d.c. de his nu. 20. & in ſpecie ita obſeruari in Italia dicit Iac. de Beluiſ. conſ. 9. circa fi. inter conſilia crim. diuerſorum, lib. 1.

14 Sed quæro, quid ſi aliquis fuerit accuſatus coram iudice eccleſiaſtico pro aliquo crimine ex ijs, pro quibus etiam iudex eccleſiaſticus poteſt contra laicum procedere, de quibus dixi in d. q. 37. & fuerit ab ipſo iudice eccleſiaſtico punitus, nunquid poterit iudex laicus illum iterum pro eodẽ delicto grauius punire? Reſp. quod ſic, & eſt communis opin. vt dicit Felin. in d. c. de ijs, num. 10. prout illum refert Alciat. in c. 1. nu. 128. de offic. ord. qui & ipſe atteſtatur hãc eſſe communem opin. licet ego in libro meo non reperiam Felin. in eo loco atteſtantem, Didac. in d.c. 10. poſt nu. 6. Ant. Gomeſ. c. 1. delictorum, poſt nu. 40. in prima concluſione, ſunt enim [z] iuriſdictiones diſtinctæ, & prorſus ſeparatæ, vt dixi ſupra verſ. ſed hic occurrit. Subdit tamen Dominus Anton. Gomeſ. in loco præallegat. circa fi. quod aliud eſſet dicendum, ſi prius fuiſſet punitus à iudice laico: nam (ſecundum eum) non poſſet deinde ab eccleſiaſtico moleri, & dicit, quod ita colligitur ex mente omnium doctorum, quod etiam ſequor, dummodo pœna impoſita per iudicem laicum nõ eſſet minor illa, quam pro eo crimine poſſet imponere iudex eccleſiaſticus, loquendo de pęna corporali, vel pecuniaria. Nam licet pœna excommunicationis, quam iudices eccleſiaſtici paſſim imponunt, ſecundum quid ſit grauior omni pœna temporali, cum tamen tendat potius ad ſalutem animæ, & ſic ſit potius medicinalis, quam afflictiua, non eſt in hoc propoſito connumeranda inter graues pœnas.

15 Vnum tamen ſcias, quod tãta poſſet eſſe criminis atrocitas, quòd non obſtante punitionne per vnum iudicem illata, poſſet etiam per alium iudicẽ puniri. Et ita colligi videtur ex text. in c. ad falſariorum, de crim. falſi, & in hoc omnes Doctor. conſentiunt, vt atteſtatur Pont. ſuper conſuet. Bleſen. fol. 182. col. 1. in fin. vbi per tres colum. ſatis eleganter loquitur in hac materia.

u *Scias etiam.*] Vulpel. conſ. 46. num. 10. *Roſ.*

Scias etiam.] Adde
26 quod † D. Far q. crim. in q. 7. numer. 26. verſic. ſed tertia, tenet contrarium, & impugnat conſuetudinem hic allegatam, dicẽs, opinionem veriorem eſſe quod indiſtinctè, etiam quod diuerſæ ſint iuriſdictiones, & territoria, abſolutus, vel condemnatus in vno loco, ſiue domicilij, ſiue originis, ſiue delicti non poſſit vllo pacto moleſtari in alio, fraude, vel colluſione ceſſante, ibi impugnando etiam Viu. tenentem in op. 429. nume. 4. quod abſolutus, vel condemnatus in loco domicilij, vel originis nõ prohibetur accuſari in loco delicti, quia eſt principalis locus, in quo punitio fieri debet; ſecus autem in condemnato, uel abſoluto in loco delicti, quo caſu amplius moleſtari non poterit: ſed ego arbitror opinionem D. Far.
27 † quo ad punitionem factam, quando ſufficienter punitus fuiſſet, eſſe veram, quia de eodem delicto nemo duplici pœna eſt puniendus, non autem quando fuiſſet abſolutus in loco originis, vel domicilij; nam daretur materia fraudandi, quia delinquentes confugerẽt ad locum domicilij, & originis, vbi de facili ob defectum probationum, vel alia de cauſa abſolutionem obtinerent, & de fraude conteſtare nõ poſſet; & quia etiam locus delicti eſt locus principalis, & principaliter offenſus, in quo punitio fieri debet, vt dicit Viu. in loco ſupra citato, ſed ſi abſolutus fuiſſet in loco delicti, eo caſu crederem amplius non poſſe moleſtari, nam prædicta ceſſarent, & ſic poteſt dici, quod in caſibus prædictis ſcilicet quando abſolutus fuiſſet in loco originis, vel domicilij, impugnandam non eſſe dictam conſuetudinem, & ita etiam dicit Do. Far. in. ſi benè eius fundamentum cõſideratur, dum tradit exemplũ de punito, & non de abſoluto.

Item adde, quod quando reus poteſt puniri à duobus iudicibus pro eodẽ delicto, ſi condẽnatus fuerit pecuniariter ab vno, poteſt iterum condẽnari corporaliter per aliũ iudicem, ita dicit Bald. in l. 2. C. de ſport. quem refert, & ſequitur Afflict. in conſt. blaſphemiam in fine, lib. 3. *Baiard.*

x *Neque punitionem coram alio.*) Pone modo quòd reus corã tali iudice penitus ſeparatæ iuriſdictionis reuocaret cõfeſſionem ſub alio iudice factam, an poſſet puniri, vel torqueri? Dic, quod ſic, niſi confitens doceret de errore, vel metu alterius iudicis, ſupr. quæſt. 21. verſ. Sed quid ſi reus. *Drogh.*

y *Reſpond. quod ſic.*] Amad. à Ponte in quæſt. Laud. tit. quis ſit iudex folio 93. aliàs nume. 24. 25. & 26. & dicit, quod vnus non poterit alteri inhibere. *Roſſ.*

z *Iuriſdictiones diſtinctæ.*] Adde ſup. q. 38. ver. ſed certè. *Drog.*

QVÆST. LVIII.

Quid agendum ſit, ſi reus remiſſionem à parte offenſa habitam exhibeat.

SVMMARIA.

Ex Claro.

1 *Pace habita ab offenſo, an poſſit vlterius procedi.*
2 *Et an poſſit tranſigi ſuper crimine prius, quam ſit inſtituta accuſatio.*
3 *Et an facta pace poſt ceptum iudicium poſſit iudex illud proſequi.*
4 *Et an ſtante pace poſſit tertius accuſari.*
5 *De quibus criminibus poſſit fieri pax.*
6 *Et an de criminibus priuatis.*
7 *Et an vbi ingeritur tantum pœna mutilationis membri.*
8 *Et an vbi pœna fuſtigationis.*
9 *Et quid ſi agatur de imponenda pœna perpetui carceris.*
10 *Et an vbi agitur de amittenda libertate.*
11 *Et an ſuper crimine adulterij.*
12 *Et an ſuper crimine raptus.*

13 *Et an ſuper crimine inceſtus.*
14 *Et an ſuper ſtupro.*
15 *Et an ſuper criminibus, pro quibus non ingeritur pœna ſanguinis.*
16 *Et quid ſi agatur de crimine priuato.*
17 *Et quid ſi agatur de crimine, pro quo de iure ſit impoſita pœna mortis, & a ſtatuto impoſita ſit pœna pecuniaria.*
18 *Et quid ſi agatur de crimine falſi.*
19 *Et an in caſibus, in quibus eſt prohibita tranſactio, ſit etiam prohibita gratuita pactio.*
20 *Et an ſi ſtatutum prohibeat fieri pacem pro aliquo delicto, cenſebitur etiam prohibitum fieri pacem cum eo, qui delictum ipſum fieri mandauit.*
21 *Ad quos ſpectet ius faciendæ pacis.*
22 *Pater an poſſit remittere iniuriam factam filio.*
23 *Prelatus an poſſit remittere iniuriam factam eccleſiæ.*
24 *Et quid in blaſphemia.*
25 *Offenſo monacho, an ſpectet ius faciendæ pacis monaſterio, vel filio.*
26 *Filij ſpurij an poſſint pacem facere de morte parentum.*
27 *Tutor an poſſit facere pacem nomine pupilli.*
28 *Procurator cum libera an poſſit pacem facere.*
29 *Pax habita vulnerato, qui deinde moritur, an proſit vulneranti.*
30 *Et an pax facta pro vulneribns proſit pro morte.*
31 *Marito, qui vxorem occidit, an proſit pax habita a filijs cõmunibus.*
32 *Filius, qui non vult eſſe hæres patris, an poſſit facere pacem pro morte patris.*
33 *Et an filius faciendo pacem cenſeatur adire patris hæreditatẽ.*
34 *Si offenſus decedat, relictis pluribus hæredibus, an ſit habenda pax ab omnibus.*
35 *Et an ſit habenda pax a femina hærede.*
36 *Et quid ſi nullns adſit hæres, a quo poſſit haberi pax.*
37 *Pax an poſſit fieri abſenti.*
38 *Pax facta pro iniuria an tollat etiam intereſſe reſpectu damnorum, & expenſarum.*
39 *Remiſſio facta in foro conſcientiæ, nunqnid ſublatum ſit ius accuſandi.*
40 *Reſtitutio rei ablatæ, vel ſatisfactio an habeat vim remiſſionis.*
41 *Iudex an poſſit cogere offenſum ad faciendam pacem.*

Ex Additionibus.

1 *Pax à quibus ſit habenda.*
2 *Pax quomodo probetur.*
3 *Pax habita poſt ſententiam, an proſit ſtante ſtatuto quod habita pace, quis mitius puniatur.*
4 *Offenſus declarans coram teſtibus, quod non intendit querelare, cenſetur remittere.*
Statutum alleuians pœnam de pace facta cum offenſo, nõ intelligitur de pace facta cum fiſco, ſed cum principaliter offenſo, nu. eod.
5 *Pax, & remiſſio an differant.*
6 *Paciſcens de iniurijs cenſetur concordaſſe.*
7 *Pax de delicto intelligitur etiam, & de qualitatibus ipſius.*
8 *Compoſitiones quomodo fiant in Regno Neapolitano.*
9 *Iudex non poteſt præfigere terminum offenſo ad querelandũ.*
10 *Pęna pacis ruptæ debetur etiã, quòd ſubſequatur reconciliatio*
11 *Remiſſio partis quando præiudicet fiſco.*
12 *Iudex an poſſit procedere poſt remiſſionem partis in ſtatu Eccleſiaſtico.*
13 *Et quid in Regno Neapolitano.*
14 *Accuſatore deſiſtente an poſſit procedi.*
15 *Accuſatores an poſſint impunè deſiſtere in Reg. Neap.*
16 *Et quid in ſtatu Eccleſiaſtico.*
17 *Accuſator nouus an poſſit proſequi proceſſum, ſuper quo fuit tranſactum.*
18 *Componens cum fiſco quando poſſit iterum moleſtari.*
19 *Pax facta ſub conditione, ne offendens redeat ad patriam ſine licentia offenſi, an valeat.*
*19 *Tertius quis dicatur.*
20 *Tranſactio quare prohibeatur in crimine adulterij.*
21 *Et quando poſſit fieri in crimine raptus.*
22 *Tranſactio, nulla an impediat tranſigentem iterum agere.*
23 *Pax à coniunctis vſque ad quem gradum requiratur.*
24 *Pax an ſit habenda a filijs adoptiuis, emancipatis, naturalibus, & legitimatis.*
25 *Pax debet conſtare in actis.*
26 *Vxore alicuius occiſa, quis debeat facere pacem, vir aut pater*
27 *Pater an poſſit remittere iniuriam factam filio.*
28 *Et ſi remiſerit, an mater poſſit accuſare.*
29 *Et quid in ſorore, ſi frater remiſerit.*
30 *Pater vilis non poteſt remittere iniuriam filij.*
31 *Nec etiam iniuriam violati thori.*
32 *Parte remittente, an alij agere poſſint.*
33 *Et an filius iniuriatus.*
34 *Filius non ratificans pacem factam à patre, non dicitur proditor.*
35 *Iniuria facta ciui non poteſt remitti per Antianos ſine conſenſu conſilij.*
*35 *Blaſphemiæ pœna quæ ſit.*
36 *Blaſphemans abſotutus à ſacerdote, an dicatur habere pacẽ blaſphemiæ.*
*36 *Rapiens monialem pacem debet habere à Papa.*
37 *Monaco habente filium interfecto, à quo ſit habenda pax, à filio, vel a Monaſterio.*
38 *Et quid ſi filius, & Monaſterium abſcordent.*
39 *Offenſa facta Monaco, & facta clerico ſeculari, an differat.*
40 *Rapiens monialem, à quo debeat habere pacem.*
41 *Religioſus non dicitur ante profeſſionem.*
42 *Spurius an poſſit remittere necem patris, vel è contra.*
43 *Tutor an, & quando poſſit facere pacem, & num. 45.*
Et quid de minore.
*43 *Mater tutrix an poſſit pacem faeere pro filio pupillo.*
44 *Et an tutor teneatur ad illius obſeruantiam.*
46 *Et quomodo ſit facienda cum pupillo.*
48 *Procurator an poſſit pacem facere.*
49 *Et an conſtitutionem apponere.*
50 *Et quid in Ragno Neapolitano.*
51 *Pax facta pto vulnere, an proſit ſecuta morte.*
52 *Occiſus ſi reliquerit patrem, filium, & vxorem, quæ poſteà filio ſucceſſit, à quo ſit pax habenda.*
53 *Maritus interficiens vxorem, an poſſit habere paeem à filijs communibus.*
54 *Far. nac. impugnatur.*
55 *Metus reuerentialis quomodo probetur.*
56 *Filius exhæredatus an faciat paeem de morte patris.*
57 *Pax habita ab vno ex plurious hæredibus an ſufficiat.*
58 *Pax, & concordia differunt.*
59 *Pax a quibus requiratur in Regno Neap.*
60 *Pace habita a principali, nõ eſt amplius de cauſa tractandũ.*
61 *Soror defuncti exiſtente filio, non poteſt pacem facere.*
Et qnid de vxore interfacti, ibid.
62 *Filiæ excluſæ a ſtatuto, an debeant paci interuenire.*
63 *Pax facta abſenti an requirat ratificationem.*
64 *Damna remittere nemo tenetur.*
65 *Satisfactio debet fieri iuxta menſuram iniuriæ.*
66 *Paciſcens cum parte, mediante pecunia, non euadit infamiam.*
67 *Remiſſio plena an tollat repetitionem damnorum.*
68 *Remittens iniuriam pretio mediante, non cenſetur remittere damna, & intereſſe.*
69 *Remiſſio pœnæ conuentionalis cenſetur facta per caſſationem proceſſus.*
70 *Remiſſio pleniſſima eomprehendit etiam damna, & intereſſe.*
71 *Remiſſio iniuriæ, & conſequutio ſatisfactionis inter ſe ſunt diuerſæ.*
72 *Remiſſio an poſſit probari per teſtes.*
73 *Et quid in Regno Neapol.*
Pax poteſt dici ſine actu exteriori pro ſalute animæ, & ſacerdos tenetur abſoluere confitentem, num. eod.
74 *Iudex an paſſit compellere ad pacem, & num. 77.*
75 *Et an ad treguam.*
76 *Et ſi compellat, an teneatur edicto, quid metus cauſa.*
78 *Pax ex quibus impediatur, remiſſ.*

QVÆST. LVIII.

1 Sequens [a] eſt defenſio, quam Reus contra Proceſſum proponere poteſt, quod ſcilicet habet pacem, ſeu remiſſionem a parte offenſa. Et hęc materia eſt valde vtilis, tam propter ſtatuta, quæ plerunque habita partis remiſſione minuũt pęnas delictorum, vel etiam aliquando diſponunt, delinquentes habita pace non poſſe moleſtari, quam etiam propter gratias, ſeu remiſſiones, quæ iſtis fiunt a Principe, quæ in hoc Ducatu, & multis etiam in locis non fiunt, niſi præuia partis remiſſione, Hæc [d] autem pax, ſeu remiſſio partis offenſæ, ſi habita eſſet, antequam cęptum eſſet procedi, multum prodeſſe poſſet delinquenti attenta diſpoſitione iuris communis, ſecundum quam non proceditur regulariter ſine accuſatore, vt dixi ſupra quęſt. 3. verſic. debet autem. videmus enim, quod [e] vbi pars offenſa non accuſat, raro ſolent alij accuſare, vt experientia docet. Sed de conſuetudine, ſecundum quam hodie iudices pro quocunque crimine procedunt per inquiſitionem, id eſt ex officio, vt dixi in d. quæſtio. 3. verſic. ſed certe, parum prodeſſet partis remiſſio, quo ad impediendum proceſſum: quia iudex ea nõ obſtante procederet ex officio. Et ita in facti contingẽtia reſcripſit Senatus Prętori Comi, 1. Septembris 1546. P. N. Bene poſſet prodeſſe quo ad debilitandum re ipſa proceſſum: [g] nam vbi pars remittit, videmus, vt plurimum, quod cum maxima difficultate poſſunt haberi per fiſcum iudicia, uel probationes contra delinquẽtes.

2 Sed punctus eſt, nunquid poſſit trãſigere ſuper crimin. antequam ſit ſuper eo inſtituta accuſatio: nam de iure loquendo videtur, quod non, & quod ſi facta ſit tranſactio, nihil valet, quinimò illemet, qui remiſit per pactum, vel per tranſactionem, poterit non obſtante tali pace, vel tranſactione accuſare. Et eſt cõmunis opi. vt dixit Alex. in l. tranſigere, num. 16. C. d. tranſact. quem refert Pariſ. conſil. 150. num. 4. lib. 4 & Mantua in ead. l. tranſigere, num. 194. in fi. fuit opin. glo. l. iuriſgentium, §. ſi paciſcar, in verbo, Non liceat, verſic. ſed an idem, ff. de pact. quam dicit eſſe communiter approbatam Villalpand. in repet. l. 22. cap. 4. num. 1. Sed certè de conſuetudine contrariũ ſeruatur nam quandocunque fiunt paces, & tranſactiones ſuper criminibus, ſemper valent, & ſunt obſeruandæ. Et licet de iure communi tranſactio, ſeu pactum, facta per proximiorem offenſi, nõ impediat, quo minus alius ſequens in gradu poſſit accuſare, ſecundum communem opin. de qua per Villalpand. ſuper l. 22. cap. 52. num. 1. nihilominus de conſuetudine ſeruatur, quod vbi primus in gradu remittit, non poſſunt alij accuſare, niſi prout poſſet quilibet extraneus: & ita in caſu ſtatuti. vel decreti, vel gratię particularis ſemper remiſſio proximioris tollit alijs facultatem accuſandi. Et ita in practica indiſtinctè ſemper vidi obſeruari: [k] Poſt cęptum autem iudicium, ſiue per viam accuſationis, ſiue per viam inquiſitionis, credo quod hæc defenſio fundata ſuper pace, aut remiſſione partis, eſſet modici effectus: nam non obſtante tali pace, ſeu tranſactione, quæ facta eſſet ſuper crimine etiam in caſibus a iure permiſſis, deuenitur ad condemnationem contra delinquentem perinde ac ſi nulla pax, aut remiſſio partis ſecuta eßet. Et dicit Gand. de maleſ. in tit. de tranſact. nu. 13. quod hæc eſt opi. omniũ Doctorum communiter, & quod ita de conſuetudine ſeruatur, quem refert Villalp. in repet. l. 22. cap. 6. num. 5. Pract. Carrer. fol. 155. num. 579 relatus et ipſe per Villalob. in ſua collecta communium opin. in littera T. num. 121. vbi ſubdit, quod ita praxis obſeruat. Dicit etiam Vital. de maleſ. in tit. de pace, num. 4. quod in hoc concordant communiter Doct. & quod ita ſeruatur. Ita etiam ſeruari atteſtatur Ang. in l. tranſigere, poſt num. 10. quem refert Anan. in cap. 1. poſt nu. 20. de colluſ. deleg. & Card. Alex. in cap. ſi quendam, §. in omnibus, in gl. 1. 2. quæſt. 3. & Villalpand. in repet. l. 22. c. 5. poſt num. 2 Et dicit Alber. in 2. par. ſtatutorum, quæſt. 127. quod ita communiter tenetur, & ſeruatur, quod tamen intellige, modo delictum ſit tale, pro quo poſſit ex officio procedi. Et ita in facti contingentia reſcripſit Senatus prætori Cremonæ 24. Iulij 1564. Vide. quæ dixi ſup. q. 51. verſic. ſed quid ſi accuſator. Verum eſt, quod Bart. in d. l. tranſigere, nu. 7. tenet, quod facta tranſactione ſuper crimine in caſibus a iure permiſſis nõ poſſit deueniri ad condemnationem ſanguinis contra reum: Et Curt. iun in d. l. tranſigere, nu. 29. dicit hãc opi. eſſe communem, quæ fortè etiã in puncto iuris eſt verior, & in regno Caſtellæ paſſim, & indiſtinctè obſeruatur, vt atteſtatur Villalpand. in repe. l. 22. c. 6. nu. 1. & ſeq. & Ant. Gomeſ. c. 3. delictorũ, nu. 55. & ſeq. inhærendo litteræ tex. d. l. 22. licet idem Gomeſ. refert quandoque contrarium fuiſſe obſeruatum: Nihilominus veritas eſt, contrariam opi. eſſe magis communẽ: & ita ſemper vidi ſeruari vbique locorum, vbi non extens in aliquibus caſibus ſtatuta contrarium diſponentia. Cum enim ex generali conſuetudine totius Italiæ, & forte etiã totius orbis poſſint iudices ex officio procedere ſuper quibuſunque delictis, vt ſupra dixi, parum curamus, an pars accuſet, vel remittat: & in hoc (maximè ſtante conſuetudine) non eſt dubitandum. Et ideò in caſibus, in quibus non poteſt procedi niſi ad querelam partis, crederẽ, quod remiſſio partis ſuperueniens tolleret omnem proceſſum, & quod accuſatus omnino eſſet abſoluendus, in ceteris autem tenenda eſt communis opi. vt ſcilicet remiſſio partit nihil operetur quo ad hoc, vt proceſſus impediri, aut tolli poſſit. Et hoc apertè innuit decretum in nouis conſtit. in tit. de accuſ. c. in caſibus diſponens, quod vbi agitur de pœna pecuniaria, habita remiſſione ab offenſo, vel eius hæredibuc, nõ poſſit aliquo modo procedi, niſi ſint caſus, in quibus poſſit etiam ex officio procedi.

Et ſcias, quod licet ſecuta abolitione per tranſactionẽ, vel mortem accuſatoris poſſit iudex accuſationem ipſum proſequi, debet tamen nouum proceſſum, & nouam inſtantiam inchoare, ex quo prima inſtantia per tranſactionem fuit extincta. Ita tenet Bart. in d. l. tranſigere, nu. 8. tenui ſententiam dicit eſſe communem Ant. Gomeſ. c. 1. delictorum, poſt num. 36. verſ. ex quo aperte, licet ipſi teneat cõtrarium, & re vera cum hodie (vt ſæpius dixi) iudex inquirendo concurrat cum accuſatore, practica ſeruat, quod per tranſactionem dicatur perempta inſtantia, ſed poteſt iudex illam quandocunque proſequi ſecundum Ang. in d. l. trãſigere, nu. 7. quem refert D. Ant. de Padilla in d. l. tran

ſigere,

ADDITIONES
Ad Quæſt. LVIII.

Sequens eſt defenſio.] Pax quotuplex ſit, & quomodo diffinitur, Vulpell. de pace, quſt. 1. & ibi plura de materia per 66. quæſtionem, & quid quid ab indicijs, ſeu tregua differat, ibi q. 67. & quinque ſeq. & an ſit indicium mixtam ſi frãgatur, vide Decian. tomo prim. tractat. crim. libro 4. cap. 26. numero 14. pax quid ſit, & quotuelex, quid cõcordia, quid tregua, vel induciæ, quid aſſecuratio ſeu cautio, vel promiſſio, de non offendendo, & quando quis cogi poſſit ad faciendum pacem, Farinac. in ſua praxi crimin. volumin. 4. quæſtio. 107. artic. 1. primæ partis, art. 1. de pęna frangentis, vel violantis pacem, ibi artic. 6. num. 17. & quando pax rupta cenſeatur, vide ipſũ in omnibus articulis dict. quæſtionis 107. de quib. ſupra fol. 172. An non obſtante pace, vel tranſactione poſſit quis iterum moleſtari, Farinac. titulo de inquiſitione, quæſt. 4. num. 31. & ſequentib. & quid ſi tranſegit cũ fiſco, idem Farinac. q. 5. vbi latè, quæ ad validitatem compoſitionis requirantur, vol. 1. Roſſ.

Sequens eſt defenſio.] Adde videndum Farinac. q. crim. 14. vbi
1 latiſſimè † pax à quibus habenda ſit, ſtante ſtatuto, quod pacẽ habens, mitius puniatur; & de modo probandi pacem latè habetur per Maſcard. de probat. concluſ. 1156. vol. 3. vide etiam, quæ poſui infra ad verſ. viſum eſt.

3 Item adde, † ſi extaret ſtatutum, quòd delinquens mitius puniatur ſecuta pace, ſiue tranſactione ante ſententiam diffinitiuam, pax, ſiue tranſactio poſt ſententiam erit valida, ſi facta fuerit pendente appellatione, & ſententia prima reuocari debet, & delinquens mitius puniri, ita tradit Gomeſ. de delict. in c. 3. nu. 69. vbi atteſtatur, ita iudicatum fuiſſe in Cancell. Regia de Valladolit, quem ſequitur Plaſi. in epit. delict. c. 39. nu. 27. & 28. Franch. in deciſ. 370. num. 19. uol. 2.

Item adde, quod ſtatutum alleuians pœnam facta pace cũ offenſo, non procedit niſi fiat pax cum principaliter offenſo. Brun. conſ. feud. 66.

4 Item † adde, quòd ſi offenſus non conqueratur, & declaret in iudicio, uel extra coram teſtibus, quod non intendit exponere querelam, nec in ſcriptis remittere, quia ſibi eſſet dedecus, ſed uideat offenſor habere pacem cum curia, quia quoad ſe nihil uult uidere, cenſetur remittere, & ſic curia poterit remittere, ſiue componere, Bart. in l. 1. §. ſi Dominus, ff. ad Senatuſconſult. Syllan. & Foller. in uerb. audiantur exceptiones, num. 58. ubi dicit, cogita, & multa in hac materia remiſſionis habes per Carauit in tit. 275. ubi plenè de hoc tractauit, &
5 inter alia † dicit, quod pax, & remiſſio ad hunc effectũ ſunt idem, licèt inter ſe differant; remiſſio enim fit, cum ab una parte tantum fuit offenſio, pax uerò, ſeu concordia cum ex utraque parte.

6 Item adde, quod ſi † fiat pactum de iniurijs ſibi factis, intelligitur fieri pax, & concordia, & ideò eſt ſatisfactum ſtatuto requirenti pacem, & concordiam, ut bannitus rebanniatur, uel accuſatus non puniatur: ita tenet Angelus in lege prima, ſuper gloſſ. in uerb. pactum, ff. de pactis, & Caccialup. in tra. de pact. in 2. quæſt.

7 Item adde, † quod pax facta de delicto, etiam quod in inſtrumento pacis non fiat mentio de qualitate delicti, prodeſt inquiſitio, quia remiſſo delicto, eius qualitas remiſſa uidetur. Baldus in conſilio trecenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo, uolumine quarto, & Romanus in conſilio 448. qui tranſcripſit cõſilium Baldi de uerbo ad uerbum, eum ſequendo. Baiard.

b Quæ in hoc Ducatu.)
8 Adde, † quod in Regno Neapolitan. remiſſiones, ſeu compoſitiones nullo modo fieri poſſunt, niſi prius parte concordata, vt per ritum 172. & 173. & ibi latiſſimè Carau. qui ponit multas quæſtiones ſi compoſitio, ſiue remiſſio, parte non concordata, facta fuiſſet, vide etiã Ioan. Anton. de Nigris ſuper cap. regni in cap. 221. incipien, exercere volentes, & omninò Fabiũ Mõteleon. de literis arbitralibus, part. 5. fol. 403. & per Pragmat. nouellam, pragm. 4. ſub titul. de cõpoſit. & de prædictis, vide etiam, quæ poſui infra in quæſtione ſequẽti, verſiculo adde quod pro bono pacis.

Item adde, quod ſtantibus Ritibus prædictis, Iudex non poteſt facere compoſitionem, ſiue remiſſionem cum illa cautela, quod of-
9 fenſo ſtatuat † terminum ad accuſandum, ſiue quærelandum ſi vult accuſare, quia etiam quod non compareat, & nihil dicat compoſitio non poteſt fieri; niſi remiſſio partis præcedat, quæ ad accuſandum cogi non poteſt, ſiue ad agendum, Carau. in d. ritu 272. num. 26. niſi in caſu ibi poſito. Baiard.

c Niſi præuia partis remiſſione.] Adde ſupra quæſt. 23. in princ. Drogh.

d Hæc autem pax.] Et de exculpatione vide Cott. memorab. verbo, teſtatur lethaliter, Felin. cap. 1. de præſumpt. in fin. num. 18. Roſ.

e Vbi pars offenſam non accuſat.] Adde ſup. q. 17. verſic. fin. in fine. Drogh.

f Parum prodeſſet patris remiſſio.] Adde Boer. ſuper conſuetud. Bitur. tit. Des conſtum. concer. le viges, §. 16. uerſic. eſt Faicte. Ratio eſt, quia cum agitur de intereſſe publico, remiſſio partium non præiudicat, Doctor. & ibi Iaſ. in l. 1. §. & poſt operis, vltima falentia, ff. de oper. nou. nunciat. At nemine querelante, etiamſi ius ſit publicum, non proceditur, ſupr. q. 17. verſic. finali, in fin. Drogh.

10 Parum prodeſſet.] Adde, quod idem † procederet, ſi pax facta fuiſſet à duobus ſub obligatione, & pęna applicanda fiſco, de nõ rumpendo eam: qu. ſi ſe offenderẽt, & poſtea ſe recõciliarent, talis recõciliatio non noceret fiſco. Felinus in conſilio 10. num. 8.

11 Item † adde, quod remiſſio partis prodeſſet in præiudiciũ fiſci in delictis, quæ fiunt in ommittendo, ſecus in illis quæ fiunt in committendo. Boer. in conſuet. Bituric. titul. de iuriſd. omn. iud. §. 16. in gl. fin.

12 Item, † adde, quod in ſtatu eccleſiaſtico adeſt conſtitutio Marchiæ in lib. 1 capit. 9. qua prouiſum fuit, vt iudices vlterius procedere non poſſint facta remiſſione partis, & abolitione petita, & ſolutis ſolidis quinque Cameræ Apoſtolicæ, dummodo non interueniat colluſio, vel alia illicita pactio, facta cum accuſato; quod arbitrio iudicis remmittitur, exceptis hæreſi, ſodomia, latrocinio, inceſtu, homicidio, raptu virginum, & Monialium, falſitate, incendio doloſo, ſacrilegio, furto, & delictis commiſſis in perſonis officialium, & Curialium curię Prouinciæ, & vulneribus atrocibus, in quibus abolitio nullatenus admittatur, aut concedatur, ſed d. conſtitutio non ſeruatur in practica, niſi in leuibus delictis, vt in verbis iniurioſ. pugnis, & ſimilibus. Baiar.

g Nam vbi pars remittit.] Adde in quantum ſit de iure ad materiã pacis, ea, quæ melius dixit Quint. Mandoſ. tractat. de ſignat. grat. fol. mihi 53. cum ſeq. Drogh.

h Sed certè de conſuetudine] Adde, quod Carauita in ritu 272. num 26. idẽ atteſtatur dicẽs, quod facta remiſſione principalis offenſi, vel eius, ad quẽ principaliter ius querelandi pertinet, neque ex eodem, neque ex nouo proceſſu tractatur amplius de cauſa, & quod hoc eſt benè notandum, quia ſeruatur in practica. Baiard.

i Vbi primus in gradu.) Adde infra hac eadẽ quęſtione, verſic ſed pone, & verſ. viſum eſt, aliter tamen viſus eſt tenere dict. Quint. Mandoſ. vbi ſupr. verſ. Quantum ad illa. Drogh.

K Poſt cæptum.] Adde quòd in nullis locis, præſertim in ſtatu eccleſiaſtico communiter ſeruatur, vt pace habita, vel reuocatione querelæ ad caſſationem proceſſus deueniri ſolet, in certis tamen caſibus leuibus, & de iſta cõſuetudine atteſtatur etiã Ant. Scap. in tractatu iuris non ſcripti (quod in vtroque foro obſeruatur libr.
13 4. c. 9. nu. 10. Et in Reg. Neapo. parte concordata raro deuenitur ad ſententiam, ſed ad aliquam cõpoſitionem. Carau. in ritu 331 nu. 2. Et an habita pace poſſit deueniri ad con-
14 demnationẽ † pœnæ ordinariæ, vide Far. quæſt. crim. q. 4. nu. 32. Baiard.

l Et ideò in caſibus.] Adde, ſi extaret ſtatutum quòd in crimine adulterij, vel ſtupri non poſſet procedi, niſi ad querelam partis, dum querela poterit iudex procedere ex officio, etiam quod querelans deſiſteret per text. in l. conſtante matrimon. in fin. ff. de adulter. & Affli. in conſtit. legum aſperitate, num. 12. Grammat. in deciſ. 31. num. 3. cum ſeq. & hoc procedit eo deſiſtẽte in quacunque parte iudicij, etiam appellatione pendente, vel accuſatore mortuo, vt per Carauitã in ritu 21. Baiard

Sed